



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

8. Novembris. Quotiescunque alienum patefacimus defectum, nostrum ipsorum vitium commonstramus. S. Ignat. in Exam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

æquò severiores nanciscaris. Quâ mensurâ  
metiris, recipies.

Etiam quæ apparent mala, forent excus  
sanda, cùm oculus sæpe fallat, auris sæpiùs,  
& omnium sæpissimè suspicio. Venefica  
hæc est, ex musca elephantem momentò  
formare potest.

8. Novembris.

*Quotiescunque alienum patefacimus defec-  
tum, nostrum ipsorum vitium common-  
stramus.* S. Ignat. in Exam.

**Q**ui diuturnis in vulneribus vivunt,  
& sanie aluntur vermes, quantæ abo-  
minationi sunt, tanto esse horrore debe-  
rent homines, qui alienis defectibus com-  
memorandis delectantur; animi enim vul-  
nera defectus sunt.

Cælum, terra, & elementa omnia, quàm  
uberem loquendi materiam tibi suppedi-  
tant, cur displicet ista? nec ullibi magis fa-  
cundus es, quàm, ubi alieni mores trahun-  
tur in censuram.

Tegendæ potiùs, quàm revelandæ fo-  
rent sordes, has tractare nemo potest, quin  
sordes & ipse contrahat. Fœtet, dum mo-  
vetur camerina. Quid juvat veterem re-

novare cicatricem, nisi quòd novus fracti  
dolor infligatur.

Nec loquendi tantùm, sed & aliena vi-  
tia audiendi pruritus in vitio est: si enim  
non invenirent benevolos auditores, pau-  
ciores forent, qui similia loquerentur. Sepi  
aures tuas spinis.

## 9. Novembris.

*Quòd si quis improvidè aliquid elegit, quod  
non licet retractare, reliquum est, ut ubi  
eum cœpit pœnitere facti, electionis dam-  
num probitate vite, & operum solertia  
compenset. S. Ignat. de regul. elect.*

**H**eu! quoties pœnitet facti; sed eos,  
qui cœco rapti impetu consilium  
non admiserunt. Sinè deliberatione moliri  
magna, est clausis oculis ad præcipitium  
properare.

Si mutare, quod elegisti, non possis, po-  
tes corrigere. Capiendum est in arena  
consilium; facienda ex necessitate virtus,  
& prior imprudentia præsentis consilio mi-  
tiganda: Si redire non licet, licebit minus  
errare.

Etiam in rebus sequiùs electis relictus  
est aliquis solatio locus, divinæ id ipsius  
ad.